

Petrus de Vinea

*Ep. IV 5 (Audito nuper quod
mordentis omnia mortis...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. IV 5 (Audito nuper quod
mordentis omnia mortis...)*

1239-1250

Litterae consolationis B. comiti Casertano lugenti de morte episcopi fratris sui.

1. Audito nuper quod mordentis omnia mortis impietas M. venerabilem Tholosanum episcopum, fratrem tuum, fidelem nostrum, tibi nunc ad presentiam nostram uenire parato non sine plurium detrimento subtraxit, passionibus tuis satis affectuose compatiendo doluimus; etsi siue ope uel opibus recuperari defunctum, aut alia compassione redimi natura permetteret, nostra propterea libenter aperuissemus eraria, et alia quolibet oportuna subsidia misissemus. 2. Sed quia quod semel subripuit mors debitor, mors auara non reddit, dolori tuo, quem multi tecum libentissime partirentur, consolationis unguenta porrigimus, et gratiae nostrae remedia propinamus, deuotioni tuae mandantes, quatenus, astringens lacrimas, refrenes suspiria et, more constantis uiri, tristitiae limites proinde nobis placiturus imponas.